

10

D. D.
DISSERTATIO ACADEMICA
SISTENS
ANIMADVERSIONES NONNULLAS
CIRCA
**MERCATURAM
QUÆSTUOSAM
CUM EXTERIS
EXERCENDAM
PROVENTIBUS FINLANDIÆ
PROPRIIS**

Suffrag. Ampl. Ord. Philos. Aboens.

Sub PRÆSIDIO

VIRI Maxime Rever. atque Ampliss.

D:NI PETRI KALM,

Oecon. PROFESS. Reg. & Ord.

Reg. Acad. Scient. Holm. nec non Societ. Lit. Ups.
MEMBRI,

In Aud. Majori Die XVI. Februarii An. MDCCCLX.

H. A. M. S.

Publice defendet

ISAACUS ERVAST,
OSTROBOTNIENSIS.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc,
Finland. JACOB MERCKELL.

MAGNÆ
IN S:M R:M M:TEM
FIDEI VIR,

Diœcœfeos Aboënsis EPISCOPE
&

Ejusdem Academiæ PRO-CANCELLARIE
EMINENTISSIME,

Reg. Acad. Scient. Stockh. MEMBRUM,

Reverendissime S. S. Theologie
DOCTOR,

D:NE CAROLE
FRIDERICE
MENNANDER,

MÆCENAS MAXIME.

AVOCAT. DIGNITAS.

Sed.

Jubent. Beneficia. Magna.

Comitas. Singularis.

PRÆSULIS.

Subire. Oculos.

Hasce. Pagellas.

Luce. Haud. Coruscantes.

Splendorem. Tamen. Querentes.

Ex.

TANTO. NOMINE.

O ! Clientum. Refugium.

O ! Meum. Præsidium.

Ad.

Hujus. Sacram. Aram.

Ego.

Supplex. Accurro.

Ad. Urnam. Usque.

Permansurus.

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

cultor Humillimus devotissimus

ISAACUS ERVAST.

TILL HERR AUCTOREN

Att rått uppodla Finska Jorden,
Förskaffa Landet ymnoghet,
Med Handels- åmnen rikta Norden;
Uppmuntra Folck til idoghet,
Att sig af egna frugter föda,
Wår Auctor lär med ådel mōda.



Haf derför' tack, min wän: E'r lycka,
Den gröniske städse i fult mått,
E'r Dygd den winne allmånt tycke,
Ren föllhet blif förwårfder lått,
Som snart med Lagren utmårkt hedser
Och önskadt nöije E'r bereder.

JOHAN A. BRANDT
J. U. L.

TILL HERR AUCTOREN

D E. Produkter.

Som. Finland. Ymnogt. Från. Sig. Framalstrar,
Böra. Ingaland. Förkastas,
Det. Ådagalåggen.

I.

Min. Herre.

Grundeligen.

I. Detta. Edart. Lärda. Arbete.

Då. I.

För. Allmänhetens. Ögon. Framställen,
Hvilka. Af. Dem.

Med. Största. Båtnad. Och. FördeL.

Til. Utländningen. Kunna. Och. Böra. Utiskeppas;
Et. Wårdigt. Åmne.

För.

En. Wård. Auctor.

Ja. Et. Åmne.

Som. Med. Fog. Förtjena. Wår. Uppmårcksamhet,
Himlen. Tilldele. Derföre.

Min. Herre. Den. Belöning.

Som. Destr. Skicklighet. Förtient.
Pallas.

Som. Aldrig. Förglömt. Bokmän;
Lärer. Icke. Heller. Underlåta.

At. Bekräfna. Eder. Hiesfa. Med. Lager,
Så.

Önskar. Och. Spår.

Min. Herres.

Trogen. Wän. och. Tienare)

JOHAN WEGELIUS,
Phil. Cand, & V. D. M.

LITERA VICTORIA


Q

... .
... .
... .
... .
... .

APULEJUS.

Solus etiam sapiens, quia opes potest
in usibus necessariis regere, videri ditissimus
debet.

Nam cæteri, quamvis sint opibus ad-
fluentes, tamen, quod vel usum earum ne-
sciant, vel deducant eas ad pessimas partes,
inopes videntur.



APHORISMUS I.

LPsam indolem & naturam Patriæ nostræ inspicientes, invenimus Illam a Summo rerum Moderatore maximis præditam esse prærogativis, quæ exultatæ ingentem adferunt utilitatem. Habemus enim solum fertile & plagam salubrem, quod & Plinius testatur, quando aquilonem seu ventum borealem saluberrimum, australem vero noxiū vocat. Sunt porro silvæ arborum abundantes. Alluunt littora nostra lacus & flumina varia, apta ad commercia instituenda. Redundant nobis ex adjacentibus maribus commoda varia. Quantam suppeditat utilitatem piscatura bene instituta? Magnos quoque thesauros in terra esse reconditos, facile videbit, qui eius viscera scrutatur; deteguntur enim in abysso eius metalla plurima, argillæ, lapidesque varii generis, ut cætera præterea. Quid de plantis extraneis dicendum, quas experientia testatur, nostræ plagæ aſſeſcere

A

ſeſcere

svescere posse? Nonne hæc omnia de præstantia & fertilitate patriæ testantur? verbo, sunt nobis omnia ad viëtum & amictum necessaria, nec ademta nobis est facultas, horum copiam suppeditandi Exteris. Antequam vero hoc fieri potest, necessum est sequamur insigne illud Regis Regnique Senatoris, nec non Ordinis S:ræ R:æ M:tis Seraphici Commendatoris Splendidissimi, excellentissimi Herois & Domini Baronis C. G. LÖFVENHIELMI monitum, quod in oratione sua elegantissima hab. coram Acad. Reg. Scient. Holm. 1751. sequentibus exposuit. „ Låtom ofs, in „quit, upbruka vårt land, och räkna våra upodlingar „och båttringar för nya intagor, hvaraf besittningen „fa mycket mindre lärer gjöras ofs stridig, som vi „just dermed föröke vår förmåga, styrcka och an „seende, och befäste tillika vår sakerhet och ljuſli „ga frid. „ Præterea quoque crediderim, Sveciam, Fenniam que, immo ipsam Lapponiam ita excoli posse, ut illi ipsi, quos strenua jam exercet inertia, fateri cogerentur, solum & clima suis cultoribus ubique factum esse benignum; loca enim antea sterilia & nescio quibus non horrida, affidui cultores jam in prata viridantia agrosque fertiles commutauunt confr. Disp. Sist. animad. circa Oecon. Patriæ habit. Upsl. 1757.

Existimarent Aborigines nostri multique alii hanc ultimam Thulen adeo esse sterilem, nliginosam & horridam, ut vix & ne vix quidem emendari possent; attamen nobis jam gratulari licet, illam adeo exultam esse, ut magna & multa præbeat indicia

dicia fertilitatis. Oeconomia quoque Finlandiæ, aliqua inventa ad tantum jam pervenerunt fastigium, quantum majores vix credere potuissent. Fatetur quidem, multa adhuc heic dari loca sterilia & arbutis musco ruboque obsita, artificia quoque varia torpere, sed ut hæc omnia magis magisque excolantur, solliciti sunt incolæ: Quid? quod multi preventus terræ jam ita exulti sunt, ut cum lucro Exoticis vendantur, sed in sequentibus de his plura, dum rudi Minerva: *Animadversiones nonnullas circa mercaturam quæstuosam cum Exteris exercendam preventibus Finlandiæ propriis, tradere proposuimus.* Favorem autem tuum, H. L. & mitiorem censuram nobis maximopere expetimus. Si quoque accuratorem cujusdam attentionem evitare hæc pagellæ non possent, erit nobis solatum, quod ne ipse quidem Jupiter, ut est in proverbio, sive pluat, sive serenus sit, omnibus placeat.

APHOR. II.

Finis, in quem omnis Oeconomia tendit, est felicitas ac opum acquisitio; utraque hæc sine labore & industria obtineri nequit. Quantum sine labore efficit rusticus? Quid mercator? Quid metallurgus absque sudore emolumenti hauriunt? certe nihil. Sequitur itaque, gentem, ad promovendam Oeconomiam aptam, debere esse assiduam, patientem laborum, robustam & omni luxuriæ otioque minus licito inimicam. Cum jam hæc omnia apud gentem quandam perspiciuntur, patet, Oeconomiam

apud eam florere. Sed cum acquisitione opum statim conjugenda est earum conservatio, nam :

Non minor est virtus, quam querere parta tueri.

Moltæ enim gentes magno cum danno hoc expertæ sunt, quæ ut e. g. Hispania, ingentem quidem auri & argenti copiam ex fodinis acquisitæ, illam tamen, ob neglectam conservandi prudentiam aliis requierunt Nationibus pro rebus variis apud illos, sive non elaboratis, sive prorsus neglectis. Confr. Disp. sistent. Fund Oecon. Publ. Ups. Hab. Hinc sequitur necessum esse, ut opes non solum conserventur, verum etiam provide crogentur, nam Oeconomiae, præsertim publicæ nullum firmius substerni potest fundamentum, quam dum omnes naturæ thesauri, qua fieri potest diligentia, perquiruntur, perquisitiique in debitos usus digeruntur, quod Seneca etiam urgere videtur, quando in Libro de vita beata Cap. XXII. „ Ait in divitiis & dispositio &, diligenter, & temperantia, & liberalitas, & magnificencia campum habent patentem „ Sed hæc præterunda, nos ad rem proprius accingimus.

APHOR. III.

Omni cogitatione & cura in id incumbemus, ut opes, quantum sic possibile, in Patria retineantur, nec Exteris, absque insigni nostro emolumento, dissipentur ; hoc vero fieri nequit, nisi agricultura, opicia, res metalica & commercia ita recte beneque instituantur & perficiantur, ut nobis omnia ea præbeant, quæ præbere debent, neve Exterorum labori

labori atque lucro ea consecremus, quæ proprium solum diligenter versum atque cultum assiduis laborantibus, abunde largiri potest; has enim artes non ad salutem modo, sed & ad decus Reipublicæ plurimum conferre, omnibus notissimum est.

De utilitate autem horum omnium, modoque, quo feliciter in emolumentum Reipublicæ excoli debeant, aliis dicendum relinquimus, de commerciis hac occasione in primis actari.

Ea est commerciorum indoles, ut si prudenter & bene exerceantur, gentem opulentissimam, si male, pauperrimam reddere valeant. Commercia vero sine manufacturis neutquam feliciter instituuntur; fateor quidem, aliquo modo constare posse sine manufacturis, ubi natura merces profert paratas; sed existimaverim, non pari cum successu ac lucro exerceri eadem posse, ac si merces exportandæ exultæ essent. Si cum felicitate perpetua Civitatis commercia cum Exteris exercenda sunt, summo studio curandum, ut pretium mercium exportatarum longe superet, quod merces advehendæ in se continent. Quando enim merces extraneæ abunde consumuntur, & hæ importandæ, præponderant exportandis, commercia diu florere haud possunt; quare simul omni cura nisi que in id incumbendum, ut singula ea, quæ ab extraneis ad nos asportantur, semper mercibus, minime vero pecunia comparentur & solvantur; quam ob rem nec unquam plura ab Exteris advehenda, quam quibus solvendis merces Patriæ abunde sufficiunt.

Alt si finem volumus, debemus etiam media velle; necessum itaque est, ut non tantum rudes materiæ industria, qua par est, excolantur, verum quoque, ut omnem desiderationem amoremque rerum extranearum minus necessariarum, in totum proscribamus, nostrasque his majoris æstimemus; igitur opera in primis danda est, ut ex omnibus fere provenientibus regionis per commercia extranea aliquid lucri ad nos perveniat: imitemus hac in re Germanos aliasque gentes, quæ crepundia, aliasque multas res nullius fere utilitatis ad Exteros mittunt, lucrum ex inde capturi. Si quoque indigenæ res tantæ non essent utilitatis & præstantiæ ac Exoticorum, attamen illas his præstantiores censemus, quoniam nobilitatæ magnas reipublicæ adferunt divitias, victumque & amictum pluribus incolis suppeditant. Non quidem urgemos, omnia extranea proscribenda esse, sed eas tantum merces importandas volumus, quibus nullo modo carere possumus, quas consuetudo jam maxime necessarias fecit, quæque, quamquam pernecessariæ, apud nos non vigent, nec unquam cum lucro vigere possunt. Cum jam hæ omnes Oeconomiae partes rite, & qua par est industria, excolegenduntur, multam sane adferrent utilitatem. Alias vero commodis Exterorum servimus, propriosque cives fame perire patimur.

APHOR. IV.

Ad quantum fastigium felicitatis Fenningia evehi posset, si tantummodo omnes, de quibus sibi gra-

gratulari potest, dotes rite excolantur? Jure certe meritoque tum felix appellanda esset. Omnibus fere illis gaudet prærogativis, quæ sufficientes sunt, ad felicitatem regioni adferendam. Magnas & pretiosas loquor silvas, lacus, flumina, mineralia, arbores, herbas, animalia, &c. Dolendum quidem est, quod de inopia incolarum queri cogatur, medela vero, quæ ad tollendum hoc malum adhibita est, non omni adhuc successu sit gavisa; ast sperandum, cum Leges, ab Ordinibus Regni Sapientissimis, hac in re datæ saluberrimæ rite & sancte observentur, Patriam dulcissimam etiam hac in parte Oeconomiæ, voti sui compotem fieri. Sed ipsum jam transgredior propositum. Hæc omnia modo enumerata majorem adderent utilitatem, si industria & arte sublevarentur. Quanta enim est consumtio vasorum fictilium, seu murrhinorum, quæ alias porcellana dici solent, aliorumque ex argilla confectorum, quæ ab Exteris huc advehuntur? Possent tamen hæc omnia apud nos confici, si officinæ in hoc opere desudantes instituentur, quoniā deprehendimus apud nos non tantum argillas utilissimas, verum etiam ollares varii generis, adeo ut sperare possimus, vasa heic talia confici posse, quæ ab Exteris advehtis vix cedent. Et ita se res habet in cæteris. Magnum quoque Oeconomiæ Fennicæ auxilium atque emolumentum adderetur, si fluvii quibus abundat Patria, naviculæ patientes redderentur, quod etiam in plurimis nostris fluminibus, Clariss. D. Mag. Jacob Chydenius in sua Diff. de commerc. Ostrob. multique alii, absque magnis

magnis impensis fieri posse existimant. Quantam difficultatem habent in meditullio regionis habitantes vel mediterranei, circa merces ad emporia devehendas, incolæ puta Savolaxiæ, Tavastiæ, Careliæ aliique? Quam ingens multitudo frumenti quotannis in illis partibus regionis remanet, propter solam veturæ difficultatem, quæ vel deperditur, vel in alios usus male impenditur? Hæc aliaque ejus modi mala & incommoda erunt nobis instar incitamenti, aggrediendi opus illud, quo fluvii redderentur navigabiles, quo dein maxima utilitas incolis adflueret, & ad agriculturam magis magisque excolendam maximus stimulus adderetur. Crediderim me tuto statuere posse, Fenniam hisce annis, non tantum ad proprios usus sufficiens frumentum habuisse, verum etiam multa millia frumenti tonnarum ad Svecos & præcipue Holmiam misisse, & longe plura mittere potuisse, si flumina navigationis capacia fuissent. Si vero jam Svedia, aut ipsa, tantum frumenti saltem produceret, quantum ad sustentationem sui sufficeret, aut e Finlandia tuto petere posset ingentem illam frumenti copiam, quæ ab Exteris singulis annis asportatur, (quod fortassis fieri potest, si fluvii Finlandiæ niviculis pervii redderentur) ultra duas & viginti tonnas auri eo quotannis in Patria manerent. Confr. Diss. de Recent. Regni Sviog. Increm. Sed ad institutum revertar.

Hinc quoque efficeretur, ut silvæ eorum locorum vastissimæ, quæ alias nullius sunt utilitatis, sed tantum putredine corrumpuntur, in usus debitos

con-

converterentur. Hinc etiam innumeri prope prō-
ventus regionis, tam rudes quam elaborati, qui a-
llias neglecti jacerent, facilissimo negotio ad urbes
maritimas devehī, indeque ad Exteros, insigni cum
lucro Patriæ exportari possent. Si vero fluvii nul-
lo modo navigabiles reddi possent, utilissimum &
maxime necessarium foret, ut ad talia loca, ubi
vastæ occurrunt silvæ, ubique occasio cineres cla-
uellatos parandi esset, habitacula talibus officinis,
vel Nundinariæ Stationes Sv. *Köpingar*, vel, si ru-
des materiæ suppeditarent, varii generis fabricæ
instituerentur, quibus merces suas expedite ven-
dere possent incolæ. Confr. Diff. Præclariss. *D.*
Mag. Job. Welin, om *Landbush. Förbät.* i *Fint.*
Sed cura maximè laudanda atque singulari sapien-
tissimorum Ordinum Regni, plura flumina Patriæ
jam reddi naviculis saltem minoribus, pervia, ve-
hementer gaudemus.

APHOR. V.

Silvæ sunt maximi atque pretiosissimi Fenniæ
thesauri: hæ enim afferes, trabes, malos, pi-
cem, tam liquidam quam solidam, innumeraque a-
lia utilissima præbent. His excisis atque deletis
non modo friget, verum etiam exciditur ac pro-
pe penitus exulat omne nostrum cum Exteris com-
merciū; hinc nunquam satis justum pretium il-
lis tribuere, nec satis debitam illarum cu-
ram agere possumus. Sed quantum detrimenti
per crebras & noxias exustiones, ex quibus plurima

incommoda profluant, quæ *Præcl. D. Mag. Job. Welin in eleg. Diff. om Landtb. Forb. i Finl.* copiose exposuit, capiant, omnibus notissimum est. Certe omnem admirationem excedit, quod, licet salus Fennungiæ, etsi non omnis, quod ad commercia cum Exteris, silvis penitus superstruatur; singulis tamen per totum hunc magnum Ducatum fere locis, ita in exustionibus harum quotannis defundant prope omnes, ut nihil supra. Nonne Hæ exustiones igitur severe & sapienter omni cura prohibendæ atque impediendæ sunt? vastantur autem silvæ per justo abundantiorem picis liquidæ destillationem, qua pretium suum quam sæpius amissit pix, & mercem tanti valoris Exteri vili pretio exportant. Præterea quoque vis infertur silvis, lignationibus sepium ac tignorum cæde, & pene innumeris aliis modis, quæ omnia, saltem quoad partem cohiberi possent, si silvæ inter pagos & vicinos distribuerentur, si in locum ædium ligneorum lapideæ atque lateritiæ substituerentur, si sepimenta, pro situ locorum, aut fossis, aut aggeribus terreis, aut lapidibus, aut denique arboribus vel sepibus vivis construerentur: Si loco ligneorum lapideos pontes conspiceremus, si structura focorum & Caminorum ubique ita emendaretur, ut exiguo ligno multum caloris rediderent, ut plurimos aliquos modos silentio præteream, quibus excidio silvarum imminentि obviari potest.

Silvis debemus naves inservientes mercaturæ,
quarum

quarum constructio in Reg. Resol. på Städernas be-
svär 1655. §. I. vocatur: förmänsta grundfæstet
och roten til handelens cultur och fortifattiande, samt
alla Städers upkomst. Gentes quæ ad mare habita-
cula tenent, & quæ præ ceteris diligenter Com-
mercia exercent, sine navibus hæc instituere non
possunt, & consequenter requisitis, ad naves con-
struendas, ut asseribus, trabibus, malis, pice tam
liquida quam solida carere non possunt. Quo-
niam autem horum, multæ illarum, qua ma-
gnam partem expertes sunt, a Septentrionalibus
hæc omnia sibi comparare coguntur. Existima-
bant quidem Gentes quædam Europeæ se, oc-
cupata parte Americæ septentrionali, per magnas
ibi inventas silvas, ingentes acquisivisse divitias,
atque ulterius non opus esse a Septentrionalibus
Europeæ Regnis, arbores & tigna petere; inve-
nerunt vero mox, pluribus experimentis repetitis,
naves constructas & picem destillatam ex arbori-
bus Americanis, minime pretio cum Europeanarum
comparari posse; naves enim e quercu e. g. A-
mericana constructæ, non, ultra annum sextum aut
decimum, cum contra e quercu Europea, usque
ad annum quadragesimum duraverunt. Confr.
Diff. Clariſſ. D. Mag. Lithandri om, nödvänd. af
Skog. ans ocb vård i Finl. Ex hisce patet, silvas
noſtras, Americorum & aliorum multorum Extero-
rum, longe præstantiores esse, ac ad plurima u-
tensilia maxime aptas, nosque ex his maximum uti-
litatis exſpectare posse.

APHOR. VI.

Porro nec minimum nobis adferunt luerum filiæ nostræ, per machinas ferratorias, præcipue, si loco crassiorum atque simplicium multifloriosæ adhiberenter ferræ, quæ tenues majorem parare possent assūm numerum. Incredibile enim est, quantum damni ex crassioribus capimus, per quas inopia sylvarum multipliciter promovetur, cum sic facile maxima pars ligni optimi inutilis redditur atque penitus perditur. Ne autem his diutius immorar, plura desiderantes, præter alios, ad illustr. b. m. Bar. nec non Suprem. Aulæ Regiæ Intend. HÄRLEMAN ablego, qui, dum in Itinario suo occupatus fuit in ostendendo utilitatem ferrarum tenuijum, hunc in modum se exprimit:

„Förmanen af de mångbladiga sängvarnar synes der
 „af, at då de gamla enbladiga, sådane som Tråb-
 „hätta, Wärmelands och större delen af de öfriga i Ri-
 „ket, af en tolft bläckar kunde allenast hämta 3 och $\frac{3}{4}$
 „tolft goda, till 8 a 10. tums bredd samt och $\frac{1}{4}$ tums tiock-
 „lek, tillika med 2 tolftor vraak ock 2 dito vraaks-
 „vraak, som tillsammans i Götheborg betales med 14.
 „Dal. Silf:mt, så lefverera dessa af medelmåttiga 12
 „tums bläckar, 5. tolftor 9 tums breda, $\frac{1}{4}$ tiocka,
 „fyrskurna och kantade bräder, 2 tolftor Kautigt
 „vraak och 2 dito vraaks vraak, hvilket åminstone
 „gäller 18 Dal. 16 öre Silf:mt, och gifver en skilnad
 „af 4. Dal. 16 öre dito mynt, för bvarje tolft bläc-
 „kar, som förloras, i lågspän &c. Dici vix potest,
 quantum detrimenti Patria accipiat, per methodum
 pleri-

plurimis in locis adhibitam, cum scilicet afferes
securibus non ferris cæduntur ac parantur; eo e-
nim singulis annis mukorum millium thalerorum
damno adficitur Patria; qui fabricandi afferes
modus ideo omnibus interdicendus esset.

Nos quoque ex picis concoctione magnum consequi commodum, clarus patet, quam quod prolixis egeat demonstrationibus; hoc tamen monendum existimaverim, paratum hujus non adeo superfluum esse, ob antea allatam rationem, ubique etiam juxta notissimam illam ab illustr. Barone FUNCK inventam & descriptam methodum fieri debere.

Quoniam vero Silvæ adeo abunde consumuntur, variisque modis vastantur, haud abs re foret, si quid curæ arborum plantationi impenderetur, ad quam præterea obstricti sumus ex Institutis Regiis plurimis. In Finlandia, præcipue australi, plantatio in primis quercuum, omni studio promovetur, quod & eum successu fieri posset, quoniam plagæ assuetæ sunt. Magnam sane hæc adferret nobis utilitatem; nihil enim ad naves construendas hac solidius, nihil durabilius, nihil Patriæ plus lucri addere potest, siquidem maximæ ac optimæ naves, tam bellicæ quam mercatoriae, ex hac conficiuntur. *Ad. Diss. Clariss. D. Mag. Crufel, om Ekjög. bättre vård och ans i Finl.*

APHOR. VII.

Jam etiam ad alias pervenimus. Spontaneas plantas
B 3 quas

quas Flora Fennica subministrat, visuri, quem usum
 ex iis in Commerciis cum Exteris instituen-
 dis habere possumus. Vasa atque Utensilia varia
 e ligno *Betulae*, *Populi*, *Juniperi*, *Abietis*, *Pini*, *Crataegi*,
Ariæ, aliarumque fabricata, multis in locis extran-
 eis, cum lucro venduntur. E *Tophis crissis Betulae*,
 fibris intortis & implicatis constantibus (Masur) arte tor-
 nari possent pulcherrima vasa atque utensilia variis ge-
 neris ad Exteros exportandæ. Fistulæ Tabacinæ
 e Ligno *Lonicerae*, *Xylostei*, Fomes e Boleto Fo-
 mentario atque Igniario bene præparatus, *Boleti Suberosi*, Cortex tenacior *Tiliæ*; Herba *Arbuti*, U-
 væ *Ursi*, in coriaria & tinctoria arte utilissima;
Baccæ Juniperi, Fruticis in primis Septentrionalis, ma-
 gni in medicis usus; Semina *Carvi* Herbæ, ad
 margines Finlandiæ Australioris vulgatissimæ, *Resina*
 ex *Abiete* collecta & debito modo præparata; *Oleum*
 ex ligno *Juniperi*, *Betulae*, *Pini*, aliarumque expre-
 sum; multaque alia, haud sine insigni lucro, ad
 Exteros eveherentur. *Cortex Betulae* exterior (nåf-
 wer) etiam procul dubio, Exteris valde arrideret;
 si omnis ejus utilitatis in Oeconomicis gnari red-
 derentur. Ex vetusto autem eodem cortice, cu-
 jus sæpe maximam copiam, plurimæ in silvis de-
 jectaæ, nullius de cætero utilitatis, arbores præbent,
 per ustionem & Fuligo nigerrima, optima variis
 usibus inserviens paratur, &, addito *Lædo palustri*,
 Oleum sic dictum Russicum, ad coria perungenda
 aptissimum, reddit, quæ utraque rite præparata, Ex-
 teri haud velipenderent. Colles Finlandiæ Sylvestres
 loca

locaque præusta atque exarida obvestit *Pteris aquilina*
 immensa copia, ex qua cineres clavellati optimi,
 ab Extraneis appetiti, confici possunt. Crescunt
 præterea in Finlandia Baccarum Species variæ,
 palato gratissimæ, apud Exteros vel non reperi-
 undæ, vel faltem rariores, quæ tamen nostros
 campos & silvas ita implent, ut vix locus pedis
 vacuus ab illis reperiatur. Sunt hæ in primis sequen-
 tes, *Vaccinium* (*Myrtillus*) caule angulato, pedun-
 culis unifloris, foliis ovatis, ferratis, deciduis, Suethice
Blåbär, Lin. Flor. Sv. 333. *Vaccinum* *vitis* idææ
 racemis terminalibus, nutantibus, foliis obovatis,
 revolutis, integerrimis, subtus punctatis, Svet. Lin-
 gon, Lin. Flor. Sv. 334. *Vaccinum* (*Occicoccus*)
 foliis integerrimis, revolutis, ovatis, caulis re-
 pentibus, filiformibus, nudis, Sv. *Tranbär*, Lin. Fl.
 Sv. 335. *Rubus Arcticus*, Foliis ternatis, caule in-
 ermi, unifloro, Sv. *Åkerbär*, Lin. H. Sv. 448. *Ru-
 bus* (*Camamorus*) foliis Simplicibus, lobatis, caule
 unifloro, dioico, Sv. *Jortron Lin. Flor.* Sv. 449. *Rubus*,
 (*Idæus*) Foliis quinato-pinnatis, ternatisque, cau-
 le aculeo, petiolis canaliculatis, Svet. *Hallon Lin.*
Flor. Sv. 446. Ex hisce jam enumeratis aliisque, quæ
 apud nos sponte & sine industria humana, in locis sæpe
 sterilissimis, in quibus nullæ fere aliæ plantæ vigere pos-
 sunt, crescunt, Vina præstantissima, Intinctus atque
 bellaria gratissima parari possunt; & quidem ea
 copiæ, ut non usui modo proprio sufficient, ve-
 rum Exoticis quoque cum lucro vendi possint;
 certe vinum ex Rubo, tam Arctico quam Idæo
 rite

rite paratum, Saporis præstantia ac salubritate, vix ulli
extraneo e Vite vinifera expresso cedit: idem de in-
tinctibus & jūribus gelatis ex baccis prædictis omnibus
paratis, dicendum. Cumque omnia rara, cara, ut in pro-
verbio, & ea, quæ exotica sunt quæque proprium So-
lum non sponte progignit, plerumque gratissima & in
summo pretio habentur, indigenisque anteferuntur,
non dubito, quin Exteri utilitatem & præstantiam ho-
rum omnium edocti, hæc maximi faciant atque carius
emant.

APHOR. VIII.

Quantas depositū divitias Summus rerum Arbi-
ter in viscera terræ, in regnum puta Mine-
rale, quarum nec nos exfortes reliquit; Sed ne
propositum transgrediar, pauca tantummodo de
Mineralibus indigenis proferam, que bene excul-
ta Regioni maxime profundunt, cum e contrario ne-
glectus eorum, ingentia profert mala & incommo-
da. Hoc clare patet, si attentioni submittimus
Ferrum nostrum, quod, qua rudem materiam,
quanquam vulgatissimum fateor, tamen præstan-
tissimum esse, & adeo, ut utilitate antecellat omni,
quod in exteris regionibus invenitur hujusmo-
di, metallo; Utilitate autem ipsum argentum &
aurum pretiososque lapides longe superat: Sed
artem adhuc non dedicimus, illud ad tantum gra-
dum perfectionis perducendi, ac Angli, qui huc us-
que ferrum nostrum, qua maximum partem ex-
portarunt, illudque nobilitatum in Commerciis, ma-
gnum illis attulit lucrum, quod & Exteri & nos,
qui tamen ipsa rudi materia gaudemus, proprio
eoque

eoque multo damno experti sumus. Cum jam extra controversiam est, maximum Regni robur, hoc tempore, quodad commercia cum Exteris, in copia Ferri consistere; Ideoque nec illud rude ad alias Nationes exportari, sed potius manufacturis propriis nobilitari debuerit atque debet, exinde enim nobis proflueret lucrum non modo duplum, verum etiam centuplum, quod harum neglectu amittitur. Ut alia præterea metallæ, quorum ulterior perquisitio tanta esset utilitate, quanta sunt præstantia; plura etiam quæ jam habemus indicia prope certissimam spem nobis addunt, Fenniam nostram in sinu suo fovere nobiliora metallæ, in haud exigua forsitan copia. Sed obveniunt jam Lrides ac inter eos primo *Ollares* variorum colorum, etiam Semipellicidi, quorum tanta in Finlandia est multitudo, quanta vix in ulla regione. Quoniam autem ad vasæ conficienda sunt aptissimi, necessum esset, ut officinæ instituerentur, in quibus Vasa varii generis, ut Patinæ, Ollæ, Lebetes, Patellæ, quibus ad potionem Thee & Caffe utuntur &c. tornari possent, confr. Dissert. Claris. Dn. Mag. Myller, de Ollaribus in Finl. reperris. *Marmor Serpentinum*, quod in Parœcia Tamme-la invenitur, palmam præripit, sine cæbio, omni illi, quod e Germania ad nos apportatur; nostrum enim Fennicum, colore viridi, coccineo, rubro, aureo, cæruleo, albo aliquo superbit, vixque ex Tellure elici potest Lapis ejusdem generis præstantior. Ex hoc, tornando confici possunt varia, ut Patellæ, Schyphi, Fistulæ Tabacinae &c. quæ ex præstantiis.

stantissima Porcellana confectis fere antecellerent, quæque ad Exteros exportata, ubique procul dubio Emtores invenirent: Elegantissimum hocce sic dictum Marmor serpentinum etiam, in pluribus locis Fenniæ reperiri, indefessus ille lapidum Patriæ Indagator, Adm. Reverend. atque Praeclariss. Naguens. Præpos. D:n ABR. MJÖDH ostendit, qui frusta pulcherrima Marmoris hujus in Parœcia Nagu legit. Marmor candidum vel Parium, quod in Parœcia Pargas invenitur, majori cum attentione perquiri debet; quoniam existimant multi, illud Marmore Italico haud deterius esse, quod tanta est præstantia, ut omnia alia ejusdem coloris exsuperet. Plura etiam præstantissima Marmorum genera in Finlandia dari, loqvuntur Specimina coloris candidissimi, viridis, rubri, rosacei, violacei, cærulei, aliisque, in Parœciis Nagu, Pargas, Korpo, Kimito, aliisque collecta locis, quæ in Musæis curiosorum servantur. Cum prædictis Marmoreque illo, quod Helsingforsiae cæditor, Commercia ad extranea loca sapienter instituta, multum lucri Patriæ adferrent. Jaspidis elegantissimæ innumeræ species & varietates, totas sæpe regiones repræsentantes, reperiuntur quoque in Fennia, tantaque sunt pulchritudine, ut qua partium subtilitatem & varietatem colorum, vix palmam Exoticon Jaspidibus reddant; dubitantem ad Lithophylacium adm. Rcvr. Nag. Præpositi D:n ABR. MJÖDH, ablego, ubi ultra quinquaginta Jaspidis pulcherrimas species ac varietates in sola Parœcia Nagu lectas admirabitur: varia quoque utensilia aliaque

ex

ex his confici possent ac deberent. Multæ Saxorum seu Lapidum compositorum species vario atque pulcherrimo colore sese ita commendant, ut præstantissimas Exterorum Jaspidis & Achatis species imitantur: varia ex his facta vili quidem pretio vendi non possent, quoniam ob materiæ duritiem non ita facile elaborantur, attamen cum omne, quod rarissimum, etiam optimum atque pretiosissimum habetur, nullus dubitaverim, quin multi horum amatores atque emtores, multis in locis apud Exteros prostarent. Qui in nonnullis Fenniæ locis e durissimo saxo cæduntur lapides molares, multoties palmam e lapide arenario factis præripiant; non enim eodem modo ac hi tam facile conteruntur, farinamque particulis lapideis ei admixtis corpori humano maximenoxiam reddunt; hinc Extraneis fere ubique lapides ejusmodi præstantissimi arriderent. An opere pretium esset Sulphur e pluribus Pyritibus, Alumen e terra aluminari, quæ quibusdam in locis Fenniæ reperiuntur, excoquere; uti & illud, an major copia Nitri hic confici posset, quam quæ usibus Patriæ sufficit, aliis examinandum relinquo. An etiam arenis nostris coloratis, uti nonnullis rubri, volaceive coloris, aliis nigri, aliis aliorum, quæ hinc inde inveniuntur, quis locus in Commerciis Extraneis dandus sit, tentari potest.

APHOR. IX.

RESTAT UT paucis moneamus de Regno Animali, ubi nec minimæ absconditæ sunt divitiae; Occurrunt in regno hoc res variæ, quæ in Commerciis magnam adserunt utilitatem,

tem. Tales sunt Quadrupedia, Aves, Pisces, aliaeque; Pelles pretiosissimæ Ferarum, Avium Silvestrium, nec non Aquaticarum plumæ &c. Hæc omnia sigillatim percursere, ostendendo quid lucri Proferunt Reipublicæ, mæ circumstan-
tia & rationes non permittunt, nec crediderim aliquem ignorantia ita laborare, ut nesciat, quicquid ad florem Com-
merciorum hæc conducunt enumerata. Pauca tamen profe-
ramus in hoc Regno obvenientia: *Anates plumis molissimis*
quantum præbent commoda ex Ianigine sua pretiosissima?
quare eas non extirpare, sed potius de propagatione ea-
rum solliciti esse debemus. *Mustela canda* gaudent pre-
tiosissima pelle, quæ lacrum adfert certissimum. Optandum
esset, ut feroce bestiæ, quarum numerus plus antiquioribus
temporibus accrevit e medio tollerentur, quo, præter utilita-
tem, quam pelles adferunt, greges etiam pecudum majora
caperent incrementa. *Pili leporini* ad pileos confiden-
dos aptissimi; Feræ varia & Aves plurimæ apud Exteros
rariores, aliquo modo munsvæ factæ: Oleum pellesque
Phocarum aliquid etiam momenti in Commerciis cum extra-
neis exergendis haberent. Fortassis modus aliquis *Clupeas* no-
stras condiendi atque saliendi inveniri posset, quo efficeret-
tur, ut illas etiam Exteri magnopere expeterent. *Piscatus*
Margaritharum in flaviis nostris etiam magis atque felicius
excolendus est. Hæc sunt illa H. L. quæ in elegancissima
hac materia, indigitare volui: Noyi quidem ipse longe plu-
ra adhuc esse, quæ dicenda forent; Sed ætas juvenilis in
hac re minime versata, angustia temporis, aliæque
circumstantiæ jubent ut his imponatur

FINIS.



PEREXIMIE atque ERUDITISSIME
D:NE AUCTOR & RESPONDENS
AMICE SVAVISSIME

OMNIBUS HONORIBUS INTRAVI

Oeconomiam esse fundamentum felicitatis publicæ, omnium rem cum judicio perpendicularium suffragio comprobatum est. Haec ostendit quomodo actiones humanæ sunt instituendæ, ut ad omnium salutem tandem vergant. Quando illa diligenter excolitur, saturatatem & copiam omnium rerum largitur, e contrario autem cum negligitur, penuria civium occupat loculos. Tu Amice integerrime, qui in hacce Tua Dissertatione elegantissima, mercaturam quæstuosam cum exteris excercendam proventibus Finlandiæ propriüs, pulcerrime exposuisti, multum attulisti Reipublicæ commodi, omniumque laudes bene meritas tibi conciliasti. Gratulor itaque tibi ingenii dotes rarissimas & felicissime exantatos labores Academicos. Gratulor fertum illud vescens laureum, quo caput Tuum, Apollo non post longum temporis intervalum est redimiturus. Gratulor omnibus tecum sanguinis vinculo conjunctis, cognatum honore dignissimum. Mihi denique gratulor Amicum, ad excelsa plenis passibus properantem. De cetero ex omni animi adyto voveo, uclit DEUS omnium rerum Arbiter, Te salvum & incolumentem dia servare & ad finem usque Tibi faustissima quoque largiri.

adplaudens scripsi,
ALEXANDER KRANCK,
Ostrobothnienlis.

FRATRI SUO DILECTISSIMO

ET si arcta sit colligatio eorum, quos communis
sangvis & fortuna junxit, tamen arctior adhuc
ea familiaritas, quam similitudo morum conjugavit;
utriusque societatis jure, ego, Frater Amantissime, a-
amicus tuus, non possum non mapnopere lætitia per-
fundi, dum in Publicum prodit iuvenilis Tuæ ætatis
maturum Specimen. Fructus Finlandiæ ad mercatu-
ram exoticam excercendam commendas, Fructus in-
genii Tui ad mercaturam bonarum artium commen-
dant Musæ Auraicæ, loqvuntur omnes, gratulantur
Tibi bene cupientes. Maestre, Fratrum optime, hac
nova virtute, hac eruditionis & erectioris Tui Ani-
mi laude, & perge viam Tibi ad majores indies
ausus sternere. Quod ad me, opto, velit summum
atque benignissimum Numen, ita Tibi propitia sua
tutela adesse, ut omnia Tibi ex voto cedant prospe-
ra, in excelsi Sui Nominis gloriam & Tuam Tu-
rumque certissimum solatum. Paucis multa com-
prehendam. Sis in tantum felix, in quantum Tua
felicitate delectatur Frater fidelissimus &

Tuus

ex aſſe
FRIDRIK ERVAST.